

T12

Confessiones VIII, XI, 25-27

La scena del giardino

XI (25) Sic aegrotabam et excruciarbat accusans memet ipsum solito acerbius nimis ac volvens et versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo iam exiguo tenebar. Sed tenebar tamen. Et instabas tamen in occultis meis, domine, severa misericordia flagella ingeminans timoris et pudoris, ne rursus cessarem et non abrumperetur id ipsum exiguum et tenue, quod remanserat, et revalesceret iterum et me robustius alligaret.

Dicebam enim apud me intus: “Ecce modo fiat, modo fiat” et cum verbo iam ibam in placitum. Iam paene faciebam et non faciebam nec relabebat tamen in pristina, sed de proximo stabam et respirabam. Et item conabar et paulo minus ibi eram et paulo minus, iam iamque adtingebam et tenebam: et non ibi eram nec adtingebam nec tenebam, haesitans mori morti et vitae vivere, plusque in me valebat inolitum, quam melius insolitum, punctumque ipsum temporis, quo aliud futurus eram, quanto propius admovebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem; sed non recutiebat retro nec avertiebat, sed suspendebat.

(26) Retinebant nugae nugarum et vanitates vanitantium, antiquae amicae meae, et succutiebant vestem meam carneam et submurmurabant: “Dimittisne nos?” et “A momento isto non erimus tecum ultra in aeternum” et “A momento isto non tibi licebit hoc et illud ultra in aeternum”. Et quae suggerebant in eo, quod dixi “hoc et illud”, quae suggerebant, deus meus? Avertat ab anima servi tui misericordia tua! Quas sordes suggerebant, quae dedecora! Et audiebam eas iam longe minus quam dimidius, non tamquam libere contradicentes eundo in obviam, sed velut a dorso mussitantes et discedentem quasi furtim vellicantes, ut respicerem. Retardabant tamen cunctantem me abripere atque excutere ab eis et transilire quo vocabar, cum diceret mihi consuetudo violenta: “Putasne sine istis poteris?”

(27) Sed iam tepidissime hoc dicebat. Aperiebatur enim ab ea parte qua intenderam faciem et quo transire trepidabam, casta dignitas continentiae, serena et non dissolute hilaris, honeste blandiens, ut venirem neque dubitarem, et extendens ad me suscipiendum et amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri et puellae, ibi iuventus multa et omnis aetas et graves viduae et virgines anus, et in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fecunda mater filiorum, gaudiorum de marito te, domine.

Et inridebat me inrisione hortatoria, quasi diceret: “Tu non poteris quod isti, quod istae? An vero isti et istae in se ipsis possunt ac non in domino deo suo? Dominus deus eorum me dedit eis. Quid in te stas et non in te stas? Proice te in eum, noli metuere; non se subtrahet, ut cadas: proice te securus, excipiet et sanabit te”. Et erubescet nimis, quia illarum nugarum murmura adhuc audiebam, et cunctabundus pendebam. Et rursus illa, quasi diceret: “Obsurdesce adversus immunda illa membra tua, ut mortificantur. Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex domini dei tui”. Ista controversia in corde meo non nisi de me ipso adversus me ipsum. At Alypius affixus lateri meo inusitati motus mei exitum tacitus opperiebatur.